S. P. D.

Litteras tuas accipiens læta quidem fronte in initio legi,^ Primo, seditiosis istis hominibus liberatum te ex animo gaudebam: postea vero cum te factum Mercatorem acciperem, magis dolui quam gavisus sum. Quid tandem senex inceptas? deliras? An non sat multis curis per omnem vitam cruciatus? Maioresne etiam affectas?^ Quid obsecro ad mercaturam istam animum induxit tuum? Non desunt opes, nec tibi libri qui eas decoxerunt, Quid ergo? O nescis, nescis quid sit mercatura, nescis quantis obnoxius curis et periculis Mercator. Opes fere omnes commendat fortunæ et magno mari, ad maiores recuperandas; recuperat etiam, si incolumes redeunt naves, sed si quæ vehemens et inopinata (quod sæpe fit) tempestas subit, amittit omnia. Atque ita nunc dives, nunc pauper. Quid tu agis? Hoccine quæris? Hoccine desideras? Quin potius tu, iam, ni fallor, sexagenarius.

^ Sed non in fine

^ O perversum hominem!

© Koninklijke Bibliotheek
KA 44, nr. 10
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0321

cum tuis tranquillo degis? opibusq; quas dedit Deus
vteris? Iam contigisti istam metam de qua Horatius

Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitq; puer, sudavit et alsit.

Requiesce tandem ab omnibus istis, Mitte curas, mitte mercaturam, mitte forum, alijs minoribus te istaec curanda trade, Nihil tibi praeterea restat quam ut valetudini cures, hoc conare, et satisfeceris. Haec sunt, Amicissime Nicolae, de quibus ad te scribere decreveram, haec mea sententia, sic suadeo. Ceterum oro te, ut, si quid liberius dixerim ignoscas, nosti morem meum loquendi, nosti qui solemus in praesentia confabulari; quod cum iam non possimus, velimus id quod possumus, absentiam nostram literis sarciamus. Vale. Hagae-comitis
10°. Kal. April. CIƆIƆCX

Tuus qui semper

Constn. Huygens

© Koninklijke Bibliotheek
KA 44, nr. 10
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0321